

(6) Postremo etiam est S. Ser^{tis} omnimodo voluntas, ut religionis ergo alter alteri nihil omnino molestiae inferat, sed fideles eius Ser^{tis} subditi invicem omni benevolentia complectantur et cum S. Ser^{te} eo tantummodo incumbant ac invigilent, ut patriam ipsam a Turcica tyrannide protegere et cum S. Ser^{te} ita vivere possint sicut fidelibus subditis convenit.

Quae omnia cum S. Ser^{tas} solum pro bono publico ac salute communi decreverit, omnino sibi pollicetur status ipsos praefatos Ser^{ti} S. plane obedientes futuros, praesertim cum barones ipsi ac equites⁹⁾ ex clementi tolerantia ac benignitate absque omni molestia ac sollicitudine in sua conscientia vivere et in summa ita securi esse possint, ut causam habeant Ser^{ti} S. de tali eius benignitate magis ingentes gratias agere quam ullo pacto de minimo conqueri, maxime cum S. Ser^{tas} secus facere non potuerit nisi et se et ipsos fideles suos subditos extremo periculo exponere voluisset...

51.

Graz, 1580 Dezember 10

Malaspina zugestelltes Dekret Erzherzog Karls bezüglich Rückstellung Aquileias an Patriarchen.

Arch. Vat. Nunz. Germ. 100, f. 226^{rv}, 227^v, Orig.

Vidit ser^{mus} dominus archidux scriptum illud, quod rev^{mus} dominus nuncius apostolicus iussu S^{mi} D. N. ob restitutionem rev^{mi} domini patriarchae Aquileiensis S. Ser^{ti} exhibuit¹⁾ et sicut Ser^{tas} S. statim primo intuitu eiusmodi memorialis S^{tis} illius vere paternam curam et sollicitudinem, quam non solum pro ipso domino patriarcha et eius ecclesia, verum etiam pro tota Christianitate indefesse ac sine ulla intermissione gerit, meritis laudibus extudit. Ita etiam postulata S. S^{tis} pro eorum momento diligenter deliberare ac perpendere fecit.²⁾ Quod cum per primam commoditatem factum esset, Ser^{ti} S. adiunctum scriptum oblatum fuit, in quo status totius negotii ad longum deducitur, et simul docetur, quo pacto S. Ser^{tas} S^{ti} illius gratificari et dictum

⁹⁾ *In der deutschen Fassung folgt hier noch sambt iren weib, kindt und gesindt.*

¹⁾ *Vgl. Nr. 5. Das Schreiben des Patriarchen ist nicht vorhanden.*

²⁾ *Vgl. Nr. 46, S. 140, und Nr. 47.*